

erit historico-juridicam suarum paroeciarum conditionem ac respectivi juris muneris pastoralis evolutionem noscere, eo vel magis cum tale opus rem ex integro pertractans nondum existat.

Adsunt et aliae rationes ex adverso. Non desunt etiamnum, qui minus recte de memorato jure sentientes, rem aliter ac revera in se est fingunt ac propterea impugnant. In his quoque rebus valet illud: ex ignorantia rei multae oriuntur dissensiones et jurgia.

Haec omnia adduxerunt nos ad decisionem, ut hanc scabrosam et lungam tempore quaestionem inquirere aggredieremur. Ipsa vero commoratio Romae per triennium non levem nobis animum addidit ut intento persisteremus usque ad finem. Quia solum Romae datur occasio consultandi archivum S. C. de Propaganda Fide, sine quo impossibile esset cum certitudine ad aliquas certas conclusiones pervenire.

Opus incoeptum jam primis mensibus anni 1937 ad finem perductum erat et sub titulo »De organisatione curae pastoralis Franciscanorum in Bosna et Hercegovina« post sollemnem defensionem mense julio in Pontificio Athenaeo Antoniano de Urbe pro obtinenda laurea doctoris, ab eodem approbatum fuit, ut typis mandaretur (Antonianum, XIII, 1938, 95). Sed ob certas difficultates non poterat statim in lucem prodire. Interea vero novis investigationibus ampliatur et auctum est: nunc enim complectitur omnes provincias franciscanas in Croatia cum earum paraeciis et cura pastorali. Totum opus exaratum est non tantum ad fidem documentorum jam editorum, verum etiam aliorum quam plurimorum, quae in diversis archivis Romae et in nostris regionibus bene nobis reperire successit. Ideo speramus praesenti elucubratione magis lucis in quaestionem inferre ac dubia dissipare.

Cum vero provinciae franciscanae croaticae, sicut olim in historia, sic hodie quoque multas alias parochias extra croaticum territorium in Jugoslavia et regionibus Americae Septentrionalis habeant, et cum praeterea Franciscani provinciae S. Crucis Sloveniae et PP. Conventuales, Capuccini et Tertiarii Regulares S. Francisci in hoc regno, quorum primi quondam etiam in communitate quadam cum supradictis erant, ipsi quoque plures parochias habeant, ideo in appendice operis nostri de omnibus illis breviter necessarias notitias exhibuimus atque tabulas statistica omnium paroeciarum apposuimus, ut ita totalis et completus conspectus curae et activitatis pastoralis Franciscanorum cum Minorum tum Conventualium, Capuccinorum ac Tertiariorum haberi posset.

Denique occasionem capiendo nostrum jucundum officium aestimamus hic palam gratitudinis debitum persolvendi D. Mon-sig. Josepho Monticone, generali praeposito archivi S. C. de Propaganda fide, qui optimo nobis adjutorio fuit, dum tempore studii in archivo ejusdem S. Congregationis perquisitioni documentorum